

## VIII

Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas sunt notae verae Christi Ecclesiae, non autem prædicatio veræ doctrinæ, neque legitima sacramentorum administratio.

## IX

In Romana communione inveniuntur hæc quatuor notæ, unitas videlicet, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, non autem in aliis communionibus a Romana sejunctis, quæ neque sunt vera Ecclesia, neque veræ Ecclesiae partes, sed solummodo sectæ schismaticæ aut hæreticæ.

## X

Ecclesia Christi non solum *numero* una, sed et *in se* una est, et quidem unitate triplici, *symbolica* eaque tum fidei tum professionis, *liturgica* atque sacramentorum, *sociali* legitimæque subordinationis et obedientiæ: unde rejiciendum est discrimin a protestantibus invectum inter articulos fidei fundamentales et non fundamentales.

## XI

Ecclesia (seu corpus Pastorum informatum a visibili capite, R. Pontifice) docendi auctoritate prædita est eaque infallibili per assistentiam Spiritus veritatis. Hæc autem infallibilitas refertur quidem primo et immediate ad revelationis depositum, mediate vero ad ea omnia sine quibus depositum hoc incolume et fides integra servari nequit.

## XII

“ Inter religiosam societatis Ecclesiae auctoritatem, cuius plenitudo est in Romano Pontifice, et